

omne studium intendere Pontificis proprium esse; Sigismundum Sarmatiæ Regem incitare; magnis & præclaris rebus gerendis iter struere, ut tandem concurrere cuncti christiani Principes ad commune incendium restinguendum alacres possint. Tum Clemens, admodum gravia, inquit, esse, quæ Patres in ea causa permoveant; attamen cum de ea arce tutanda agatur, cuius christianis Principibus tantum defensio intersit, cum subsidia nocte inuenta fuerint, dissimulatione uti Senatū posse.

Haud absimilia Antonius Maria Gratianus, Ameriæ Episcopus, Pontificis Internuntius, ejus nomine agit: Biennio antea Clissa potiundi occasionem oblatam, Reipublicæ causa in opportunius tempus distulisse; modo deditam tradere Reipublicæ decrevisse; rem qui tractaverant, moræ impatientes immature confecisse: an facta infecta fieri posse? an illius defendendæ partes, uti Christi in terris obtinentis vicem, Clementis non existere? summa animi molestia accepisse a Venetis triremibus subsidia intercludi, id a Senatus pietate ac religione, quam tantopere profiteatur, profectum sibi suadere non posse: hortari, rogare, animo ac viribus sese in communem hostem comparent: ea consilia, eas cogitationes ad Rempublicam potius, quam ad alios Principes pertinere: veteres recentesque illatas ab ea gente injurias damnaque, quorum gravia vulnera nondum coaluissent, expenderent, funesta trophæa de nobis relata inspicerent: an non hæc commovere atque incitare civium pectora generosa debent? an non in ultionem acuere, atque ad provincias ac regna amissa recuperanda impellere? quid hoc tempore magis opportunum? jam invictam olim Turcarum potentiam, labantem; clades acceptas, urbes atque oppida amissa; militarem disciplinam corruptam, rudes copiarum ductores, imperatores, Regem ipsum in umbratili otio educatum, non virtute, non vivido animi impetu præstantem; intestina dissidia, populos vel belli vel tyrannidis pertæsos: contra vero prosperis anni superioris successibus, Strigonio Pannoniæ præcipuo munimento capto, Christianorum spes animosque sublato; Sarmatas ad fœdus cum reliquis ineundum proclinos; Clementem commune christiænæ reipublicæ bonum anbelantem, nil aliud dies noctesque

Antonii
Maria
Gratiani,
Pontificis
Nuntii, ora-
tio ad Vene-
tos.

agi-